

phyllis 8 e basi latâ lineari subulatis flores marginales non æquantibus flexuosis, corollis luteis, acheniis...

Hab. in *Armeniâ* propè *Tortoum* cl. Huet du Pavillon Junio 1853.

Radix crassiuscula tunicata fasciculos foliorum caulesque plures floriferos sub anthesi 8-9 pollicares edens. Folia supernè vix lineam lata, caulinarum pars dilatata sæpè pollicaris lato-linearis. Capitula eis *Tr. pratensis* ferè minora. Species collo tunicato, foliis tenuissimis, involucrique phyllis setaceo-acuminatis insignis habitu *Tr. caricifolium* Boiss. quodam modò referens quod floribus roseis, foliis latioribus, etc. cæterùm longè differt. Affinitas ob achenia non nota incerta.

TRAGOPOGON LONGIFOLIUM Heldr. et Sartori.

Tr. glabrum, radicis cylindricæ collo nudo caulem sæpiùs unicum elatum striatum rubellum ramosum edenti, foliis radicalibus caulisque inferioribus plurinerviis linearibus strictis apice attenuatis callosis, pedunculis elongatis rigidis supernè vix incrassatis foliis brevibus lanceolatis strictis obsitis, capitulis parvis, involucri basi subpulverulenti cæterùm glabri octophylli phyllis lanceolatis acutis flosculos marginales æquantibus, flosculis luteis subtùs sublivescentibus, acheniis brevibus læviusculis spinuloso-muricatisve in rostrum eis triplò brevius apice villosum attenuatis, pappo sordido achenium cum rostro æquanti.

Hab. in maritimis *Phaleri* Atticæ inter Juncos cl. Th. de Heldreich.

Folia inferiora pedalia sesquipedaliave sesquilineam lata. Caules tandem 2-2 $\frac{1}{2}$ pedales. Achenia cum rostro 5 lineas longa. Valdè affine *Tr. brevirostri* DC. a quo differt foliis longioribus nunquam floccosis nec undulatis, acheniis brevioribus apice minùs tenuiter et brevius rostratis, caulis præterea minùs ramosus et folia ramea basi minùs dilatata.

TRAGOPOGON RETICULATUM Boiss. et Huet.

Tr. radice cylindricâ verticali, collo vaginis reticulato-foliosis vestito, foliis radicalibus linearibus supernè longè attenuatis, caulinis e basi dilatatâ oblongâ attenuato-acuminatis, omnibus pluri-

nerviis margine sæpiùs floccoso valdè undulatis apice flexuosis, caulibus 1-2 monocephalis folia radicalia non multùm superantibus apice non incrassatis, involucri basi sublanati phyllis 8 lanceolatis acutis flosculis marginalibus luteis subbrevioribus, acheniis mucronatis in rostrum eis triplò brevius apice lanatum abruptè attenuatis, pappo sordido achenium cum rostro æquanti.

Hab. in *Armeniâ* propè *Erzeroum* cl. Huet du Pavillon.

Caulis 8-10 pollicares, folia radicalia 2 $\frac{1}{2}$ -3 lineas, caulina infernè 6-7 lineas lata, capitula magnitudinis eorum *T. Orientalis*. Achenium cum rostro 7-8 lineas longum. Hæc species collo vaginato ut *T. stenophyllum* donata ab eo fabricâ foliorum et involucri phyllorum longius differt et aptius propè *Tr. latifolium* collocanda quod collo non fibroso, foliis non heteromorphis, caule ramoso aliisque distat notis.

TRAGOPOGON PLANTAGINEUM Boiss. et Huet.

Tr. radice verticali cylindricâ, collo vaginis in fibras crassas tandem solutis vestito, caule humillimo folioso monocephalo, foliis glabris multinerviis margine scabridulis radicalibus oblongo-lanceolatis basi attenuatis caulinis e basi rotundatâ oblongis omnibus breviter attenuato-mucronatis, pedunculo lanato apice subincrassato foliis supremis breviori, involucri phyllis 8 lanceolatis margine undulatis acutis flosculos luteos æquantibus, acheniis....

Hab. in *Armeniâ* propè *Elidja* cl. Huet du Pavillon.

Planta ex unico specimine nota habitu valdè singularis. Caulis vix semipedalis capitulum magnitudinis *Tr. pratensis* sed angustius ferens. Folia radicalia 3-3 $\frac{1}{2}$ pollices longa 10-15 lineas lata, folia caulina 3-4 inter se approximata bipollicaria subrecurva 12-13 lineas lata. Acheniis ignotis incerta affinitas sed prob. propè *Tr. latifolium* collocandum quod cæteris neglectis collo non fibroso et foliis lanuginosis differt.

Obs. *T. Cælesyriacum* Boiss. Diagn. N° 11 re accuratiùs perpensâ *Tr. eriospermo* Ten. inter omnes species generis magis affine videtur, ab eo staturâ pumilâ, pedunculis vix incrassatis, involucri phyllis quinque tantùm differt et verosimiliter hujus tantùm varietatem sistit.